



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

51. Arnoldus Vicecomes Gistellensis an. 1180. dotat Aldenburgensem Benedictinorum Abbatiam in Flandria; probante Philippo Alsatio Flandriae Comite.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

Sibodo Præpositus S. Alberti Aquensis, & Canonicus S. Lamberti in Leodio;

Item alius Sibodo, Decanus ecclesiæ S. Mariæ in Aquis; Ioannes Plebanus in Linne, & Decanus Svveftrensis Capituli,

Godefridus sacerdos in Geilenkirchen.

Et milites, Watherus de Bunde,

Adam de Haren, & Gozvvinus frater suus,

Alardus de Haukesdal, Reinardus Schermus,

Rutgerus de Berge, & alij plures.

Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, vi. Nonas Martij, Indictione xi. 1223.

### NOTATIO.

Stirpe mascula primorum istorum dominorum Heinsbergensium extincta, dominium Heinsbergense primò ad Loffensem, post ad Iuliacensem familiam est deuolutum: vt suo à nobis explicabitur.

### CAPVT II.

*Arnoldus Vicecomes Gistellensis an. 1180. dotat Aldenburgensem Benedictinorum Abbatiam in Flandria; probante Philippo Alsatio Flandria Comite.*

**P**HILIPPVS, fauente Deo, tam Flandriæ quàm Viromandiæ Comes, vniuersis sanctæ matris Ecclesiæ filijs in perpetuum.

Cùm omnia, quæ mundi huius diues producit facunditas, diuinæ largitatis beneficio possideamus ad libitum, ea solum nobis in posterum profutura reponimus, quæ pauperum Christi manibus in cælestes thesauros deportanda committimus.

Vt ergò æternæ mendicitatis euadamus incommoda, aliqua ex ijs, quæ modò superfluent, sunt præmittenda, quibus & interim pauperum Christi subleuetur inopia, & nobis in posterum præparentur subsidia.

Præsenti igitur pagina curauimus insinuare tam futurorum quàm præsen-



præsentium tenaci memoriæ, quòd ARNOLDVS Vicecomes de Gistella, cum vxore sua AGNETE, omnem decimam, quam in parochia de Erneghem, & Westkerca, & Roxem, & Bekeghem, inter Pita & Waterualla à me in feodo habebat, absoluta renuntiatione in manus meas resignauit: & ego eandem decimam, pro meis & meorum reatibus diluendis, ecclesiæ S. Petri de ALDENBURG, perpetuis vsibus, legitima ac libera donatione contradidi.

Ipsè verò Arnoldus, cum vxore sua Agnete, quamdam decimam, quam in confinio præfatæ decimæ ab ecclesiâ S. Nicolai de Ribelmund, sub annua dimidij firtonis solutione, hereditario iure possidebat, eidem S. Petri ecclesiæ, sub eodem pensionis canone, perpetuò possidendam, iuris sui loco, concessit.

Verùm ne sæpedita S. Petri ecclesiâ, temporum volumine, aliquod de rebus suis possit pati præiudicium, præfatam donationem scripto mandari, & sigilli nostri munimine corroborari necessarium duxi. Huic donationi interfuerunt,

Gerardus Præpositus Insulanus,  
Walterus Capellanus Comitum de Winendala,  
Gerardus Vicecomes de Aldenburg,  
Boidin de Rauenscota,  
Christianus de Gistella,  
Theodericus Damhoudera,  
Weitin de Iabbea, & fratres eius,  
Henricus de Paskendala,  
Henricus de Schiruelda,  
Daniel de Torholt,  
Haket de Rideruorda.

1180. Datum Furnis anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo, Indictione tertia, Epacta decima septima.

### NOTATIO.

ERNEGHEM, Westkerka . . . . ) vici circa Gistellam & Aldenburgum. Monasterium Aldenburgense, Benedictinorum, fundauit S. Arnulphus Episcopus Sueslionensis.

CAPVT